

## SECTIO III.

## DE XII. PROPHETIS MINORIBUS

*Prophetae minores* sic dicti ob scriptorum suorum brevitatem (1), numero sunt duodecim; et, sicut quatuor prophetae maiores, ita etiam ipsi invehuntur in idololatriam, aliaque scelera israelitarum, comminando ipsis captivitatem vel assyriacam, vel babylonicam, inspersis hinc inde laetis vaticiniis de Christo, de ecclesia Christi, et ad eam pertinentibus, omnique felicitate per Christum mundo obventura.

## CAPUT I.

## De Hosea.

HOSEAS sive OSEE, hebraice *וּחִיָּהוּ* graece apud LXX interpretes *Ὁσηέ*, latine *Salvatorem* significat. Optat enim hic propheta ubique oratque Dominum pro salute populi. Igitur non solis oraculis, gestis et vitae sanctitate, sed et nomine suo Christum praefigurat *Osee*. Prophetavit autem iam sub *Ozia*, seu *Azaria*, *Ioathan*, *Achaz*, *Ezechia*, regibus Iuda, ut patet ex vers. 1, et sub *Ieroboamo* II. rege Israel, eratque prophetae *Isaiae* synchronus; unde prophetavit circiter per 80 aut 90 annos, ut constat computanti annos memoratorum regum. Vixit facile 110 vel 120 annis. Colitur ut sanctus ab ecclesia 4 iulii. Argumentum ipsius prophetiae est: Peccantibus israelitis excidium, aliasque

(1) Vide supra num. 35.

(2) *Introduct. in s. Scriptur.* p. 2, sect. 4, n. 246, *Oppon. II.*

(3) In Evangelio suo, c. 21, v. 45.

(4) *Réponses critiques* tom. 1, n. 42.(5) *Vetus Testamentum* (adeoque etiam *Osee* prophetiam) reiiciebant Manichaei, Deum, qui per *Moysem* legem de-

plagas; poenitentibus clementiam et gloriam promittit.

137. QUÆRES I. An *Spinoza*, prophetiam *Osee* in nostris bibliis extantem iure censeat mutilam et mancam esse; cum hic propheta per tot annos prophetando plura haud dubie ediderit vaticinia? R. cum cl. *Goldhagen* (2): « Propheta non alia consignabat scripto, ac quae Deus posteritati servari voluit ad ecclesiae utilitatem; uti nec evangelistae omnia Christi dicta et gesta scripserunt, teste *Ioanne* evang. (3). Potuit igitur *Oseas* diu prophetae munus concionando ad populum obire, scripto tamen non nisi paucas prophetias ad consilium Dei opportunas complecti. » Unde *Spinoza* libellum *Osee* immerito censeat mutilum et mancum. Satis enim perfectus et integer ille liber est, qui secundum divinam voluntatem, et ad finem a Deo praestitutum conscriptus est.

138. QUÆRES II. An mandatum Dei, prophetiae *Osee* (c. 1, v. 2) datum: SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM, ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM, verisimile sit? Negant id teste cl. *Bullet* (4) deistae ac dicunt, hoc mandatum non sine horrore legi posse. Negavit id etiam iam olim *Faustus* manichaeus (5), ideo ab *Augustino* ex instituto refutatus (6); et merito quidem. Nam sensus ci-

dit, et in prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex tenebrarum principibus, asserentes; ut refert *Natalis Alexander*, tom. 4 *Histor. eccles. seculi III*, c. 3, art. 9, § 2.

(6) Vide s. *Augustini* operum tom. 6, contra *Faustum* Manich. lib. 22, c. 6, 80 et 89.

tali textus sacri non est, Deum iussisse prophetae, ut fornicetur, seu ut accedat ad meretricem manentem in vita sua scelerata; sed (quemadmodum interpretes (1) communiter exponunt) ut ducat famosam illam meretricem, eamque legitimo sibi matrimonio copulet, et filios ex ea procreet, qui vocantur filii fornicationum, non quod ex fornicatione nati sint, sed quod ex legitimo quidem coniugio, attamen ex matre, quae ante hoc matrimonium tota fornicationibus dedita fuit, fuerint procreati. Neque enim Deus ad prophetam ait: *Sume tibi mulierem ad fornicandum*, sed: *Sume tibi UXOREM fornicationum*, h. e. quae ante erat scortum, seu tota fornicationibus dedita.

Honestum autem est, mulierem, quae vitioso hoc quaestu vitam tolerat, ducere uxorem, modo cesset a scelere; uti meretrix illa *Gomer* dicta fecit, post initum cum propheta *Osea* matrimonium (2). Unde s. *Hieronymus* (3) recte de *Osea* ait: *Nec culpandus propheta, si meretricem converterit ad pudicitiam; sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit.* Et s. *Augustinus* (4): *Quid inimicum fidei christianae, si meretrix relicta fornicatione in castum coniugium commutatur? . . . Itaque cum meretricem propheta fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figurae sacramentum, de quo mox loquemur, expressum.*

(1) Ita s. *Hieronymus*, *Cornelius a Lap.*, *Tirinus*, *Calmet*, aliique.(2) An autem *Gomer* post coniugium cum *Osee*, tresque proles ex eo susceptas, adulteris denuo se miscuerit, vide *Cornelium a Lap.* comment. in *Osee*, c. 5, v. 1.(3) *Comment. in cap. I. Osee.*(4) L. 22 contra *Faustum*, c. 80.(5) *Exod.* c. 7, v. 12. *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum*, i. e. magorum aegyptiacorum.

COROLLARIUM. Immerito offenduntur lectores indocti, quod uxorem *Osee* audiant uxorem fornicationum nominari, non attendentes, quod Scriptura ex indole hebraicae linguae, imo aliarum quoque, tam in rebus quam personis nominandis non semel magis respiciat ad illud, quod ante, quam quod post fuerunt. Sic virga *Moyse* dicitur virga (5), etsi in anguem esset conversa. Sic in evangelio (6) appellantur surdi, claudique, qui antea erant tales, sed hic et nunc sive auditum, sive gressum iam receperunt.

139. Si autem petas, cur Deus tam durum praeceptum ducendi mulierem fornicationibus infamem prophetae *Osee* iniunxerit? R. Voluit Deus hoc facto (7) *Osee* designare et reprehendere infidelitatem et idololatriam populi israelitici; nam propheta *Oseas* Deum hic praesentat, uxor vero fornicaria populum Israel. Fornicatio enim et hoc loco, et passim apud prophetas significat peccata, praesertim idololatriae, qua israelitae relicto Deo sponso suo, idolis voluptatibusque illicitis quasi amasiis adhaerebant. Unde Deus loc. cit. ad *Oseam* ait: *Sume tibi uxorem fornicationum. . . quia fornicans fornicabitur terra a Domino*, h. e. quia israelitae a Deo prono impetu se convertent ad colenda idola.

SCHOLION. Cum unus idemque textus s. Scripturae non semel habeat plures sensus literales vel mysticos (8), mirandum non est, quod factum illud prophetae *Osee* iuxta

(6) *Matth.* c. 14, v. 5.

(7) Prophetiae non raro a Deo iussi sunt ipsis factis et actionibus prophetare, ut supra sect. 1, q. 1 num. 1, ostendimus.

(8) Vide *Salmeronem* proleg. 8. *Serarium* proleg. c. 21, q. 12 et 13. *Bonfreirium* proleg. in totam *Scriptur. sacr.* c. 19, sect. 5.



patres et interpretes non solum fuerit typus et figura spiritualis conubii Dei cum populo israelitico, sed etiam gemini alterius coniugii, *Christi nimirum cum carne nostra* per incarnationem. Caro enim nostra erat fornicaria, id est caro peccati, quam filius Dei depuravit (quamvis veram et realem) sibi univit et desponsavit per incarnationem; dein cum ecclesia ex gentibus prius idololatriae deditis congregata. Verum de his plura vide apud *Cornelium a Lap.* (1).

140. QUÆRES III. *An increduli merito negent, prophetam Oseam his verbis* (Osee c. 11, v. 1): *EX AEGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM, vaticinatum esse de reditu Christi pueri* (Matth. c. 2, v. 15) *ex Aegypto?* R. Negative. Priusquam autem meam responsionem probem, refero incredulorum quorundam sensa circa hanc rem. Unus eorum est famosus ille *Horus*, de quo iam alibi (2). Is de citato *Osee* loco, ita ait (3): *Hunc locum nemo mortalium credet esse vaticinium: Matthaeus autem* (evangelista) *fingit, eum esse tale, et ideo parentes Iesu cum suo filio in Aegyptum fugisse asserit, ut Deus filium suum ex Aegypto vocare, et ita Scripturam* (scilicet citatum *Osee* oraculum) *implere possit.* Simili modo de hac prophetia *Osee* disserit *Du-Marsais* (4).

Verum nil novi effutiunt hi increduli. Idem enim iam olim *Iulianus apost.*, teste s. *Hieronymo* (5), obiiciebat christianis, ut s. *Matthaeum* vel falsitatis vel inscitiae argueret. Sed ut ad rem ipsam et objectionem hanc incredulorum confutandam propius accedamus, ob-

(1) Comment. in Osee, c. 1, v. 2.

(2) Vide supra sect. 1, q. 4, n. 5.

(3) De prophetis Messiam praedicentibus, p. 306 et 307.

(4) In anatom. christian. religion. p.

servo, omnibus, qui in lectione ac intelligentia s. Scripturae non omnino peregrini sunt, exploratum esse, quod in scriptis prophetarum res occurrant, quae vel purae et simplices prophetiae sunt; aliae vero, quae sunt typus seu figura aliarum rerum futurarum. Sic in veteri Testamento permulti dabantur mystici ritus, facta, aut personae, quae typus erant et figura venturi Messiae, aut eventuum eidem occurrentium. Sic etiam s. *Paulus*, qui certe optimam notitiam antiquae legis habuit, expresse ait, ea quae hebraeis in veteri testamento contingebant, fuisse figuram eorum, quae nobismet ipsis sunt eventura: *Haec omnia in figuram contingebant illis.*

Simili itaque modo verba illa *Osee* c. 11, v. 1: *Ex Aegypto vocavi filium meum* ad literam quidem impleta sunt in populo Israel per *Moysem* educto ex Aegypto; allegorice vero et typice in puero Christo reducto ex Aegypto; licet autem hic sensus sit allegoricus, tamen est priore literali dignior, potior, et magis intentus a Spiritu s. Populus enim Israel in hoc reditu ex Aegypto gessit typum Christi, praesertim quia Christus illius populi fuit pars et propago, eaque nobilissima. Hac de causa, ut *Cornelius a Lap.* (6) scite observat, Deus cit. loc. ait *filium meum*, non filios meos, ut primario denotet Christum.

COROLLARIUM. Infirma et futilis est obiectio *Osiandri*, dum in cap. 2 Matth. ita ait: Fieri nequit, ut populus Israel innumerabilis, unius hominis (nempe Christi) sit figura; ergo in sensu allegorico cit. locus *Ose*. c. 11, v. 1, nequit accipi de

53. Vide eiusdem refutationem apud cl. *Nonnotte* philosoph. dict. de la religion, p. 2, art. Prophéties, p. 714 et 715.

(5) Commentar. in Osee, c. 11, v. 1.

(6) Ibid.

Christo. Nam R. negando anteedens. Si enim unus homo potest repraesentare totum populum ex se generandum; sicut de *Jacob* et *Esau* dicitur *Rebecca* matri (1): *Duae gentes sunt in utero tuo, etc.*, vel si unus homo (nempe rex) potest repraesentare totum populum sibi subditum, sive totum regnum; cur vice versa unus populus (nempe israeliticus) unum hominem quasi patriarcham et regem, ac praesertim Christum Dominum, repraesentare non possit? Ita patres passim et doctores.

Porro qua ratione populus Israel fuerit figura Christi peregrinantis in Aegypto, et inde redeuntis, pluribus explicat *Rupertus* (2).

141. QUÆRES IV. *An ex verbis illis* (Osee c. 14, v. 1): *PEREAT SAMARIA, QUONIAM AD AMARITUDINEM CONCITAVIT DEUM SUUM; IN GLADIO PEREANT, PARVULI EORUM ILLIDANTUR, ET PORTAE EIUS DISCINDANTUR, scriptor de Spiritu Iudaismi* (3) *recte concludat, Oseam a daemone inspiratum, haec dixisse?* R. Pessimè sic concludit. Imo potius ex infami hoc scriptore quaerimus, quo spiritu ipse ductus, versum immediate sequentem, qui omne scandalum tollit, omiserit, ita sonantem: *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua.* Quaeso, an spiritus malus, sive daemon stimulat ad seriam conversionem seu poenitentiam? Igitur falsissimum est, quod citata verba *Osee* prophetae a spiritu malo profecta sint. Possunt autem eadem duplici modo inspirata fuisse a Spiritu s. PRIMO ita, ut sint verba vere imperantis, aut optantis, quomodo hunc locum s. *Hieronymus* inter-

(1) Genes. c. 25, v. 25.

(2) Comment. in Osee c. 11, v. 1.

(3) Esprit du judaïsme, c. 9, p. 151, q. sur l'encyclop. supplém. *Osee*.

pretatur. *Imperat igitur, inquit, propheta, et ut verius dicam, optativo modo loquitur, ut Samaria pereat.* Licitum enim hoc est sanctis vel virtute divina imperare, vel etiam optare, quo peccatores resipiscant, aut eorum suppliciis alii corrigantur, aut certe Dei iustitia et potentia demonstratur, ut optime docet s. *Thomas* (4). Itaque, si hanc responsionem assumamus, propheta *Oseas* verba illa non ex spiritu malo aut peccaminosa voluntate protulit, sed conformavit se voluntati Dei vindicis et ex zelo iustitiae, iustaeque vindictae, ad sarcendum Dei honorem a Samaria violatum, et terrorem ac emendationem peccatorum optavit, ut ipsa dispereat. SECUNDO, et, ut *Cornelius a Lap.* (5) censet, melius cit. loc. accipitur optativum pro futuro, scilicet *pereat* pro *peribit*, ita ut non sit optatio, sed praedictio prophetica. Sic enim etiam alibi in Scriptura optationes extremorum malorum, pro prophetiis et praedictionibus eorundem accipiuntur, ut psalm. 68, v. 29, *Deleantur*, id est, delebuntur *de libro viventium, et cum iustis non scribantur*, id est, non scribentur. Sic quoque s. *Hieronymus* verba illa Psalm. 11, v. 4: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam, et s. Augustinus* verba illa psalm. 78, v. 6: *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt*, docent, non esse verba optantis, sed tantum futura praedicentis. Igitur pariter verba illa *Osee* prophetae: *Pereat Samaria, etc.*, merito dici possunt, esse verba praedicentis futura mala. Et profecto omnes isti imperativi *Pereat Samaria etc.*, et, in gladio pereant, etc., tam in textu hebraeo, quam

(4) 22, q. 25, art. 6 ad 5.

(5) Comment. in Osee c. 14, v. 1.



in graeco apud LXX interpretes (1), item in paraphrasi chaldaica (2) non sunt imperativi, sed futura. Ex quo plane intelligimus, citata *Oseae* verba esse prophetiam. Certe ipse s. Hieronymus (3) ait, universa illa mala israelitis accidisse tempore captivitatis et angustiae, quando suam patriam perdiderunt... et in servitute perpetuam sunt abducti, hoc est, allisos esse parvulos ad muros, et ad saxa, et praegnantes sectas fuisse, atque disruptas. Imo talem barbariem quidem ex regno Samariae, seu Israel etiam experti sunt sub *Manahem* truculento rege Israelis; ut patet ex his s. Scripturae verbis (4): « Tunc percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erant in ea, et terminos eius de Thersa; noluerant enim aperire ei; et interfecit omnes praegnantes eius, et scidit eas. » Erat autem *Manahem* post *Ieroboamum II* (sub quo *Oseas* prophetauit) et post *Zachariam* dicti *Ieroboami* filium, et *Sellum* rex in Israel.

COROLLARIUM. Alastor stygius nec aliis, quos ecclesia tanquam sanctos a Deo inspiratos prophetas veneratur, vaticinia sua inspiravit: saepe autem calumniatoribus prophetarum convicia adversus hos, et blasphemias contra s. Scripturam suggerit.

## CAPUT II.

### De Ioële.

IOEL יוֹאֵל volens; graece Ἰωήλ voluit, iuxta communioem sententiam, *Oseae* synchronus fuit, ita tamen, ut *Oseas* iam ante deportationem decem tribuum in exilium prophetam egerit; *Ioël* vero non

(1) Versio LXX interpretum ita habet: Ἀφανισθήσεται Σαμαρία, ὅτι ἀντίστη πρὸς θεὸν ἀντίης. Disperdetur Samaria, quoniam restitit contra Deum suum.

(2) Paraphrasis chaldaica ita sonat:

nisi post deportationem et excisam Samariam vaticinari coeperit; ac proinde ad solas tribus Iuda et Benjamin in regno Iudae residuas. Argumentum prophetiae *Ioëlis* est excidium Hierosolymae totiusque Iudaeae per chaldaeos. Deinde regni Christi felicitatem delineat, missionem Spiritus s. pollicetur, extremum iudicii diem et locum praedicit. Stylo utitur magifico et figurato; res vividis coloribus ita pingit, ut non descriptae, sed ipsis oculis subiectae videantur. Memoria eius ut sancti in Martyrologio romano 13 iulii recensetur.

142. QUAERES I. Quomodo illud *Ioëlis* iudaeos ad poenitentiam adhortantis (*Ioël* c. 2, v. 14): QUIS SCIT SI (DEUS) CONVERTATUR (flectatur) ET IGNOSCAT? concordet cum verbis *Ezechielis* (*Ezech.* c. 18, v. 21): SIMPIUS EGERIT POENITENTIAM... VITA VIVET ET NON MORIETUR, ubi venia vere poenitentibus, non dubitanter, sed absolute promittitur? R. Quamvis *Ioël* certo sciverit, Deum vere poenitentibus remittere culpam et poenam aeternam; tamen sciebat pariter, Deum iisdem non semper simul remittere poenam temporalem, qualis hic erat excidium Iudaeae per chaldaeos inferendum. De ista igitur poena remittenda dubitans propheta ait: *Quis scit, etc.* quasi diceret: « Spero eum ignosciturum; at asserere et promittere non audeo. » Sic Deus *Davidi* poenitenti culpam homicidii et adulterii remisit, non poenam temporalem; nam eum punivit morte filii, et rebellione *Absalonis*. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, et alii.

Peccati rea est Samaria... gladio occidentur, iuvenes eorum allidentur, et praegnantes eorum scidentur.

(3) Comment. in *Osee*, c. 14, v. 1.

(4) IV. Reg. c. 15, v. 16.

143. QUAERES II. Quid sentendum de interpretatione, qua auctor libri *Horus* dicti cap. 2 *Ioëlis* a v. 28 usque ad finem eiusdem capituli exponit? R. Haec expositio quoad eam partem, quam mox recensebo, impia ac detestanda est. Antequam autem hoc ostendam, prius lectori ob oculos pono citatum textum sacrum, et notas seu commentationem in eundem textum ab *Horo* factas. Verba prophetae *Ioëlis* cit. loc. sunt haec: « Et erit post haec: Effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae: senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit; quia in monte Sion, et in Ierusalem erit salvatio. » Iam vero post hunc recensitum textum *Horus* (1) exclamat sequentibus verbis, quae ex germanico in latinum idioma transtuli: Deus nos custodiat ab hoc spiritu! utique somniatoribus iam nimio plus abundamus. Quid fieret, si ipsi etiam... senes nostri, iuvenes, nostri servi et ancillae in medium prodirent et vaticinarentur? » Dein quoddam immiscet delirium suum de duodecim signis zodiaci, aliisque syderibus (2); quae in civitate coelesti, tanquam firma petra, illaesa conservanda sint; atque hunc et non alium sensum esse ait illorum *Ioëlis* verborum: *In monte Sion, et in Ierusalem erit salvatio*. In qua expositione denuo se prodit impietas et fanaticus ridiculus *Hori*, ac similis illi, quem iam alibi (3) refutavimus.

(1) Loc. cit. pag. 507 et 508.

(2) Verba *Hori* cit. loc. pag. 508, sunt haec: « In monte Sion, et in Ierusalem erit salvatio, nihil aliud significat, quam quod duodecim signa zodiaci, aliaque

Verum ut longiores ambages vitemus, statim aperte enunciemus, quid ergo propheta *Ioël* toto cit. loc. dicere voluerit. Inprimis sciendum, quod eundem prophetam locum citavit s. Petrus Actor. c. 2, v. 16-22, in prima sua concione post effusum super discipulos Spiritum s. in die Pentecostes habita, et inde ostenderit, minime mirandum esse, quod ipse et alii discipuli Christi, in quos Spiritus sanctus effusus est, peregrinis linguis loquantur. Nihil enim aliud hic factum esse, nisi quod propheta *Ioël* iam diu antea praedixit his verbis (4): Et erit post haec: Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae: senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. »

Quaeritur iam, utrum s. Petrus apostolus hunc locum *Ioëlis* prophetae sic explicando errarit? Uti que erravit, si fides adhibeatur *Horo*. Hic enim in fine impiae suae expositionis huius loci *Ioëlis*, conqueritur his verbis: Et tamen apostoli hanc effusionem spiritus somniatorum, et fatidicorum interpretabantur de effusione Spiritus s. »

Verum si ostendi potest, quod ille Spiritus, de quo propheta *Ioël* et apostolus *Petrus* citatis locis locuti sunt, nequaquam spiritus somniatorum et fanaticorum hominum fuerit, tunc stolidi haec *Hori* assertio profecto manifestae falsitatis convincitur. Iam vero quid, quaeso, in inspiratione *Petri*, et aliorum Christi discipulorum in die Pente-

sydera in coelesti civitate, tanquam firma rupe, illaesa conservabuntur. »

(3) Vide supra n. 57.

(4) *Ioël* c. 2, v. 28 et 29.



costes, et primorum fidelium deinceps facta, quando super eos cecidit Spiritus sanctus ( ut in primaeva ecclesia fieri solebat ) quid, inquam, in hac inspiratione fanatici continebatur? *Horus* certe id nec verbulo probat, nec probare potest; s. *Paulus* vero de effusione Spiritus s. secundum citatam *Ioelis* praedictionem facta, et communicatione variarum gratiarum primis christianis facta, tanquam de re pervulgata loquitur (1) his verbis: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus... Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae... alii gratia sanctorum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Ex quibus verbis, et ex actibus apostolorum (2) intelligimus, plene impletam esse illam *Ioelis* de effusione Spiritus s. super omnem carnem prophetiam post Domini ascensionem, et varia in variis Spiritus s. dona extitisse. Quidam enim prophetabant ut *Agabus* et filiae *Philippi* (3), et aliqui ex *Corinthiis* (4), item erant... in ecclesia, quae erat *Antiochiae*, prophetiae et doctores (5): Quidam vero primis illis ecclesiae temporibus visiones videbant; ut *Ioannes* in *Apocalypsi*, et *Petrus* (6). Paucis: Tota historia primaevae ecclesiae Christi de effusis eiusmodi charismatis Spiritus s. in primos fideles aperte testatur.

(1) I. Cor. c. 12, v. 4-12.

(2) Actor. c. 21, v. 8-12.

(3) Ibidem.

(4) Id colligitur ex epist. I. Cor. c. 14.

(5) Actor. c. 13, v. 1.

(6) Actor. c. 10, v. 10-18.

144. Sed transeamus ad alteram partem memoratae prophetiae *Ioelis*, in qua versu 32 de salute eorum, qui invocaverint nomen Domini, et habitaverint in monte Sion et in Ierusalem, sermo est: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion, et in Ierusalem erit salvatio*. Sensus nimirum horum verborum non est ridiculus ille, et prorsus gratis confictus, quem *Horus* assignat, quemque praecedente numero iam explorimus; sed amplectendus ille sensus, quem orthodoxi interpretes (7) afferre solent, et est hic: « In die illa magna et terribili extremi iudicii salvabuntur veri Dei cultores, qui scilicet in hac vita Deum puro corde, in vera fide, spe et charitate invocaverint, quique (loquendo de hominibus tempore legis christianae viventibus) in ecclesia Christi, cuius typus fuit Ierusalem et Sion, fidem ac pietatem sectati fuerint. »

145. QUÆRES III. An VALLIS IOSAPHAT ( *Ioël* c. 3, v. 2 et 12 ) sit certus et determinatus aliquis locus vel tantum significet locum iudicii a Domino instituendi, quicumque deum ille locus erit? R. Est locus certus et determinatus. Haec assertio nostra est imprimis contra *Calmetum* (8), et alios quosdam, qui teste *Ribera* (9) nullam credunt fuisse vallem, quae diceretur *Iosaphat*, sed contendunt, locum iudicii, quicumque ille erit, ab eventu dici *vallem Iosaphat*, quoniam ibi Dominus iudicaturus sit; nomen enim *Iosaphat* significat *iudicium Domini*. Atque ideo *chaldaeus* loc. cit. non vertit, in *vallem Iosaphat*, sed in

(7) V. *Cornelium a Lap.*, *Menochium*, *Tirinum*, et cum aliis praecipue *Riberam* in hunc locum.

(8) Comment. in *Ioel*. c. 2, v. 28, et c. 3, v. 2.

(9) Ibid. c. 3, v. 2.

*vallem divisionis iudicii*. Est etiam assertio nostra contra *Lutherum*, qui (1) pariter negat, per *vallem Iosaphat* cit. loc. intelligi certum aliquem locum prope Ierusalem situm; imo omnino negat contra sensum ss. patrum, quod cit. loc. de iudicio extremo sermo sit, sed vult citata verba *Ioelis* intelligenda esse de ecclesia Christi, quam putat vocari *vallem Iosaphat*, quia ad eam omnis orbis per praedicationem verbi divini vocatus, per conciones arguitur, quodammodo iudicatur et convincitur, quod omnes sint peccatores coram Deo.

Verum contra omnes hos adversarios ostendo, *vallem Iosaphat*, de qua propheta *Ioël* cit. loc. loquitur, esse locum certum, determinatum, et vocem *Iosaphat* hic non sumi appellative pro quocumque loco, ubi erit iudicium Domini, nec hic accipi pro ecclesia Christi, sed esse nomen proprium significans vallem inter Ierusalem, et montem *Olivetum*. Omnes enim, qui de Hierosolyma et locis circumstitis scripserunt, quique terram sanctam oculis, pedibusque lustraverunt, teste *Ri-*

(1) Verba *Lutheri* praefat. in prophetam *Ioël* in suis bibliis germanicis edit. Wittenberg. anno 1607, latine significant: « Quod autem (*Ioël*) ait, Dominum congregaturum omnes gentes in *vallem Iosaphat* ad iudicandum eas, quod antiqui patres de extremo iudicio intelligunt, neque ego hunc sensum reprobato. Censeo tamen, *Ioëlem*, quemadmodum *Ecclesiam christianam* nomine *Ierusalem*... denotat, ita eandem etiam nomine *vallis Iosaphat* designet eo, quod totus mundus ad ecclesiam Christi per praedicationem verbi divini vocatus, in ea iudicetur, seu per conciones arguatur ac convincatur, quod omnes sint peccatores coram Deo... Nam *vallis Iosaphat* significat *vallem iudicii*; sicut etiam *Hoseas* c. 2, v. 15 *Christianam Ecclesiam* appellat *vallem Achor*.

(2) Loc. cit.

(3) In libello de locis sanctis, c. 6, qui in tom. 5 operum ven. *Beda* continetur, mihi pag. 490 et 491.

*bera* (2) affirmant, inter templum et montem *Olivetum* esse *vallem Iosaphat*, atque eam hodieque indigenae ita appellant; cur nos negemus, nisi velimus more scepticorum in dubium omnia vocare? Certe *Adrichomius* (3) in descriptione terrae sanctae distincte ait: « Vallis *Iosaphat*, quae et *vallis Cedron*, et *vallis montium* vocatur, *vallis* est lata, profunda, inter Ierusalem et montem *Olivetum* interiecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens *Cedron* transiens suis aquis egregie foecundat... In hac valle pii ac religiosi reges Iuda; *Asa*, *Ezechias* et *Iosias*.... combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem *Cedron* proiecerunt, etc. etc. » Similiter ven. *Beda* (3) ita de hac valle scribit: « Juxta murum templi vel Ierusalem, *Gehennon* occurrit, quae est *vallis Iosaphat*, a septentrionali plaga in austrum porrecta, per quam torrens *Cedron*, si quando pluviarum aquas recipit, decurrit. Haec *vallis* et parva campi planities, irrigua et nemorosa, plenaque deliciis, locum in se quondam *Baali* sacrum habuit. In hac turris regis *Iosaphat*, sepulcrum eius continens (4): cu-

(4) Notandum tamen, quod, quamvis extet adhuc sepulcrum in ea valle, quod vulgus indigenarum *Iosaphat* existimat; id tamen quibusdam non probatur, quoniam III. Reg. c. 22, v. 31, et II. Paral. c. 21, v. 1, sepultus dicitur *Iosaphat* in civitate *David*; nisi forte casu aliquo postea in turrim illam, et vallem translata sint ossa *Iosaphat*. Unde *Cornelius a Lap.* comment. in *Ioel*. c. 3, v. 2, ita ait: « Porro *vallis* haec nomen accepit a *Iosaphat* rege, quod eam ipse insigni titulo et fabrica v. gr. arcu triumphali post victoriam de ammonitis et idumaeis ornavit; vel quod in ea mausoleum illi erectum sit, pulchra pyramide insignitum, ut tradunt *Beda* et *Salignac*: licet enim *Iosaphat* sepultus sit in Sion, uti dicitur II. Paral. c. 21, v. 1, tamen mausoleum ei erigi potuit in hac valle, in quam forte eius ossa translata sunt. »



ius ad dextram dorupe montis Oliveti, excisa et separata domus, duo cavata habet sepulcra, hoc est, Simeonis senis, et Ioseph sanctae Mariae sponsi; in eadem valle s. Mariae rotunda est ecclesia, lapideo tabulatu discreta, cuius in superioribus quatuor altaria, in inferioribus unum habetur in orientali plaga, etc. etc. » Praeterea Rabbi David, tametsi chaldaei interpretis interpretationem de nomine *Iosaphat*, quod interpretatur *iudicium Domini*, non reiciat, de valle tamen sic nominata in haec verba scribit (1): « Haec porro vallis erat regis *Iosaphat*, et fortasse ibi aedificarat, aut aliquid opus gesserat, ut propterea nomen eius retinuerit, vicinaque est urbi Ierusalem. » Certum ergo ex his auctoribus, vallem aliquam fuisse, quae diceretur *Iosaphat*, quamvis non sit prorsus certa causa huius nominis. Accedit, quod, quamvis interpres chaldaeus cit. loc. vocem *Iosaphat* interpretetur in sua versione *iudicium Domini*, tamen s. Hieronymus in sua versione latina, et LXX interpretes in sua versione graeca loc. cit. retinere vocem *Iosaphat* immutatam, satis manifesto indicio, quod iudicant, eam hic esse nomen proprium, et *vallem Iosaphat* esse locum certum et definitum, tametsi vox *Iosaphat* secundum versionem literalem significet *iudicium Domini*; sicut multa nomina propria in quavis lingua possunt aliquid aliud latius patens, genericum aut specificum significare. Sic nomen hebraeum *Jonas* significat *columba*: nomen *David* significat *dilectus*, etc. etc. Denique adde, quod ii, qui hebraice sciunt, ex ipsa compositione et terminatione norint, *Iosaphat* esse nomen proprium, aequae ac *Iosias*, *Ioannes*,

(1) Vide *Riberam* loc. cit.

(2) Comment. in Ioel. c. 3, v. 2.

*Iosue*, etc.; prout etiam *Cornelius a Lap.* (2) observat.

146. COROLLARIUM. Ex dictis etiam patet, reiciendam esse doctrinam *Lutheri* numero praeced. in nota (1) recensitam, dum ait, *valllem Iosaphat* (Ioël. 3, v. 2 et 12) significare ecclesiam christianam. Neque id evincit *Lutherus* ex paritate quam affert, de *valle Achor*, ita argumentando: *Vallis Achor* (Oseae 2, v. 15) ecclesiam significat: ergo etiam *vallis Iosaphat* loc. cit. apud prophetam *Ioëlem* significat ecclesiam christianam. Nam negamus suppositum, quod *vallis Achor* ecclesiam significet. Ut enim cl. *Widenhofer* (3) ostendit, *vallis Achor* in hebraeo idiomate significat *vallem perturbationis* ab *Achan*, iuxta nomenclationem a *Iosue* cap. 7, v. 24 et 25 impositam. Quod si *Lutherus* cum suis sequacibus velit, ecclesiam suam esse talem *vallem Achor*, libenter annuimus: sed quod haec vallis veram Christi ecclesiam significet, negamus et pernegamus. Ceterum, etiamsi *vallis Achor* cit. loc. ecclesiam significaret, nondum tamen inde sequeretur, quod etiam *vallis Iosaphat* Ioël. 3, v. 2 et 12 secundum sensum literalem ecclesiam Christi significet, et non locum seu vallem certam et definitam, quae erit locus extremi iudicii. Contrarium enim contextus clare indicat, et a nobis partim iam ostensum est, partim in sequentibus duabus quaestionibus amplius demonstrabitur.

147. QUÆRES IV. *Utrum in valle Iosaphat quae iacet ad pedem montis Oliveti prope urbem Ierusalem, futurum sit extremum iudicium?*

R. Affirmative. Quamvis enim haec res non sit dogma fidei, tamen, ut s. Thomas (4) cum *Dominico So-*

(5) Ibid.

(4) Verba doctoris angelici in 4 dist.

to (1), et aliis docet, probabile aut probabilius est, in nominato loco seu valle extremum iudicium futurum. Ratio est I. Quia plane is videtur esse sensus literalis verborum Ioël. 3, v. 2 et 12. Cum enim propheta *Ioël* ibi de die extremi iudicii loquatur (ut est certum iuxta sensum PP.), et locum iudicii signet nomine noto *vallis Iosaphat*, quod nec LXX interpretes, nec *Hieronymus* in suis versionibus mutare voluerant, aut interpretari (2); cur negemus vere in eo loco futurum illud iudicium? Cur sensum reiciamus verbis ipsis optime conformem, ex quo nihil incommodi sequitur? Immo, addit *Ribera* (3) et ait, *qua fronte* (hunc sensum) *reicere possumus? Cum enim sensus huiusmodi occurrat, ille est sine dubio historicus: quod nisi teneamus, nihil fere certum aut exploratum habebimus in Scripturis.* II. Praeterea locum aliquem iudicii extremi futurum esse, nemo orthodoxorum est, qui ambigat, nec potest ulla probabilitate fingi, hunc futurum extra Iudaeam. Si autem in Iudaea locus ille erit, cur ergo alibi potius, quam in valle *Iosaphat*, quae est ad radices montis Oliveti, ex quo Dominus in coelum ascendit, et in quem locum angeli eum rediturum ad iudicium satis clare indicarunt (4), dicentes: *Viri galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum*

48, q. 1, art. 4, quaestiuicula quarta sunt haec: « Ad quartam quaestionem dicendum, quod qualiter illud iudicium sit futurum, et quomodo homines ad iudicium conveniant, non potest multum per certitudinem sciri, tamen probabiliter potest colligi ex Scripturis, quod circa locum montis Oliveti descendet, sicuti et inde ascendit, ut idem ostendatur qui ascendit et qui descendit. »

(1) Verba *Dominici Soto* in 4 dist. 47,

*euntem in coelum.* III. *Vallis Iosaphat*, ut iam saepius diximus, est iuxta Ierusalem: iudicium autem extremum erit in loco vicino Hierosolymae, ut colligitur ex eo, quia propheta *Ioël* cap. 3 loquens de hoc iudicio, v. 16 subdit: *Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam.* Et profecto, cum Christus Hierosolymis vixerit, docuerit, miracula fecerit, iudicatus et occisus sit; ac in monte Oliveti, qui valli *Iosaphat* imminet, gloriam et maiestatem suam ascendens in coelum ostenderit; decet omnino et convenit, ut in vicinia Hierosolymae iudicet incredulos et inobedientes sibi, qui tantae eius charitati, doctrinae et miraculis, quibus doctrinam suam coelestem esse, seque a Deo missum Messiam et salvatorem probavit, credere et obedire noluerunt. Iustum enim est, ut ibi Christus iudex suae gloriae maiestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit; utque ibi iudicet, ubi iudicatus est, et vindictam sumat de suis persecutoribus, aliisque omnibus, qui suo sanguine uti noluerunt. Ita cum s. *Thoma* loc. cit. *Lyranus*, *Vatablus*, *Mariana*, *Dominicus Soto*, *Paludanus*, et passim alii scholastici, ac nominatim *Suarez* (5).

148. DICES: Si locus ille aptior Christi gloriae, iudicioque videtur, in quo ipse accusatus et damnatus est; tunc iudicium extremum non in valle *Iosaphat*, sed in praetorio

q. 1, art. 4, sunt ista: Hac tamen non obstante opinione, tanquam longe probabilior statuitur conclusio, quod iudicium celebrandum sit in valle illa *Iosaphat*, quae iacet ad pedem montis Oliveti versus urbem, » scilicet Ierusalem.

(2) Vide supra num. 143 prope finem.

(3) Comment. in Ioel c. 3, v. 2.

(4) Actor. c. 1, v. 14.

(5) Part. 5, c. 57, art. 6, disp. 50, sect. 3.



Pilati, vel in monte Calvariae, aut saltem in Ierusalem esset instituentum; quia in praetorio Pilati fuit morti adiudicatus, et in Calvariae loco sententia iniusti huius iudicii fuit executioni data. R. I. Sive Christus in extremo iudicio sedeat supra urbem Ierusalem, sive supra montem Oliveti aut Calvariae, sive, quod probabilius est, supra vallem ipsam *Iosaphat*; in aestimatione morali semper verum erit, quod ibi, ubi iniuste condemnatus et morti addictus est, orbem sit iudicaturus; nam loca ita urbi vicina quasi eiusdem urbis suburbana existimantur. Audiamus *Riberam* (1) ad allatam obiectionem his verbis respondentem: « Mihi ita videtur respondendum. Sive Dominus supra ipsam urbem sedeat, sive supra montem Oliveti, sive, quod magis arbitror, supra vallem ipsam *Iosaphat* . . . supra Ierusalem sedet, nam loca ita urbi vicina quasi eiusdem urbis suburbana existimantur. Quare recte postea ait: Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam. Sed aptissimus locus est valles *Iosaphat* etc.

R. II. Cum s. *Thoma* (2), et aliis, rationem, cur Christus orbem iudicaturus non in praetorium Pilati, aut urbem Ierusalem, vel montem Calvariae descensus sit, sed potius supra montem Oliveti et adiacentem vallem *Iosaphat*, esse hanc, quia Christus, quamvis passus sit in forma passibili et humili, venturus tamen est cum maiestate et gloriae splendore: et ideo non descendet in locum quo passus est et condemnatus, sed ad illum, unde gloriosus

(1) Loc. cit.

(2) Loc. cit.

(3) In 4 dist. 47, q. 1, art. 4.

(4) In 4 dist. 48, q. 1, art. 4, quaestiuicula quarta, ubi doctor angelicus ita ait: « Ad primum ergo dicendum, quod magna multitudo in parvo spatio

ascendit. Ad 2. dicendum, inquit Doctor Angelicus loc. cit., quod, quamvis Christus per hoc, quod iniuste iudicatus est, iudicium potestatem meruerit, non tamen iudicabit in forma infirmitatis, in qua iniuste iudicatus est, sed in forma gloriosa, in qua ad Patrem ascendit: unde locus ascensionis magis competit iudicio, quam locus, ubi condemnatus est.

Sed ais: Mons Oliveti et vallis *Iosaphat* non sunt idem locus: ergo si Christus iudex descendet supra montem Oliveti, iudicium extremum non erit in valle *Iosaphat*. R. Verbis *Dominici Soto* (3) ita hanc obiectionem diluentis; « respondetur, quod cum vallis ad pedem monticuli (i. e. montis Oliveti) extendatur, coniicitur, quod Christus in latere, vel in cacumine montis in aëre sedebit, unde a cunctis electis conspici possit: qui itidem circa ipsum in aëre sublimes erunt: et in valle subter erunt damnati in terra.

INSTABIS: Vallis *Iosaphat* non potest capere multitudinem omnium hominum ultima illa die iudicandorum: ergo manet argumentum. R. Ad hanc instantiam in sequenti quaestione mox respondebimus.

149. QUÆRES V. An veri speciem habeat, aut alicui verisimile fieri queat, quod vallis *Iosaphat* capere possit multitudinem omnium hominum iudicandorum? R. Etiam si extremum iudicium in valle *Iosaphat* futurum sit, necesse tamen non est asserere, hanc vallem esse tam spatiosam, ut omnes homines iudicandos capere valeat: prout s. *Thomas* (4) cum aliis iam pridem ob-

comprehendi potest: sufficit autem ponere quantumcumque spatium circa locum illum ad capiendum multitudinem iudicandorum, dummodo ab illo spatio Christum videre possint, qui in aëre eminens, et maxima claritate refulgens a longinquo inspicere poterit. »

servavit. Nam, ut *Dominicus Soto*, doctrinam doctoris Angelici secutus, recte ait (1), « Quoad electos nulla est difficultas. Cum enim per dotem agilitatis sint in aërem sublevandi, poterunt alii aliis sublimius elevari. Qua utique ratione in parvo spatio respectu terrae possunt omnes aërem replentes existere. Damnatos vero non est necesse omnes intra vallis spatium intercludi, sed erit vallis plena, et circumiacentia loca, quanta illis capiendis sufficiant. Nam etsi humanitatem Christi visuri sint omnes, tantus tamen erit splendor supernaturalis Christi, ut a quam maxima distantia videri possit. »

150. DICES: Ipse *Petrus Lombardus* episcopus parisiensis (alio nomine *Magister sententiarum* dictus) opinionem illorum, qui verba *Ioëlis* cap. 3, v. 2 sic intelligunt, quod Christus in valle *Iosaphat* descensus sit ad iudicium, appellat puerilem (2): ergo haec opinio deserenda est. R. I. Nostram sententiam de loco iudicii extremi expresse tenent s. *Thomas*, et huius sectator *Dominicus Soto*, et quidem ibi, ubi citatum textum magistri sententiarum explicant; ut ex dictis manifestum est: ergo nostra haec sententia non est contraria magistro sententiarum. R. II. Magister sententiarum loc. cit. illorum tantum opinionem appellat puerilem, qui citatum textum *Ioëlis* hoc sensu accipiunt, quod Christus in ipsam vallem *Iosaphat* descensus sit, et non tantum in aërem supra hanc vallem. Vult nimirum magister sentent., et recte quidem (3), quod Christus iudex non descensus sit in ipsam vallem *Iosaphat*: sic enim a tot hominum millionibus in per-

(1) In 4 dist. 47, q. 1, art. 4.

(2) Lib. 4 sententiarum, dist. 48, art. de loco iudicii.

sona sua videri non posset: sed descendet in aërem huic valli et monti Oliveti incumbentem et vicinum. Sedebit enim in nube lucida et gloriosa. In valle vero, locisque eis vicinis consistent homines iudicandi, circumstantibus angelis: sed electi et beati rapiuntur in nubibus obviam Christo in aëra, ut ait apostolus (4). Atque hanc ipsissimam doctrinam etiam magister sentent. nobiscum tenet. Audiamus propria ipsius verba, loc. cit. ita loquentis: Putant quidam Dominum descensurum in vallem *Iosaphat* in iudicio: eo quod ipse per *Ioëlem* prophetam sic loquitur: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat, et disceptabo ibi cum eis*. In cuius capituli expositione ita reperi. Hoc quidem pueriliter intelligunt, quod in valle, quae est in latere montis Oliveti, descensus sit Dominus ad iudicium, quod frivolum est. Quia non in terra, sed in spatio huius aëris sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit. . . *Iosaphat* autem interpretatur *iudicium Domini*. In vallem ergo *Iosaphat* idest iudicii Domini, congregabuntur omnes impii. Iusti vero non descendant in vallem iudicii, id est, damnationem: sed in nubibus elevabuntur obviam Christo. » Ex quibus verbis magistri sentent. manifeste patet, quod eandem nobiscum sententiam docuerit de loco extremi iudicii, quam dein s. *Thomas*, et alii theologi et interpretes Scripturae communiter secuti sunt.

151. COROLLARIUM I. Ii, qui universale iudicium in valle *Iosaphat* futurum docuere, aut cum s. *Thoma*, et communi aliorum docent, hanc suam assertionem nunquam

(3) V. *Cornelium a Lap.*, comment. in Ioel, c. 3, v. 2.

(4) I. Thessal. c. 4, v. 16.